



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

X. Num quæ inerat Animæ Christi imperfectio scientiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

hypostaticè; Non essentialiter, Neque accidentaliter.

XXV. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERANI. Christi Humanitas; utpote, ad dexteram Dei exaltata super omnia creata; est vbiq; perinde, vt Diuinitas. Vide *Luthero-cal. q. 26.*

CHRISTVS. Istud è diametro repugnat S. Scripturis meis.

1. Quæ dicunt Me Hominem alicubi non fuisse. Vt Ioan. 11. *Lazarus mortuus est: &c. quia non eram ibi.* Matth. vlt. *Non est hic surrexit.*

2. Illis, quæ esse vbiq; asserunt. Vt Iere. 25. *Cælum & terram ego impleo.* Pf. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?*

3. Illis, qui me Deum & Hominem esse docent supra.

XXVI. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS. Necessè habet Christi carnem adeo longè extra creaturas ponere, quam longè Deus ipse extra illas est.

Scvvenkf. *Est Deus verus.* Anabaptistæ, *Est ex substantia Patris in vterum Virginis allata caro Christi.* Vide meum *Luthero-cal. q. 27.*

CHRISTVS. Mat. 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dei, Filij Abrahamæ.* &c. quæ genealogia veri est hominis. Lu. 1. *Ecce concipies in utero, & paries.* &c. i. ait Ambr. l. de Incar. c. 9. *Habuit de suo Virgo, quoad traderet; non alienum dedit mater.* Matt. 21. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt, David, id est, homo hominis. Fili David miserere. Vereque Pilatus; Ecce Homo.* Atque ita & post ascensionem Christus dicitur, *Filius hominis*, in Scripturis.

QVÆSTIO X.

Num quæ inerat Anima Christi imperfectio Scientiæ.

XXVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERVS, & CALVINVS notam ignorantie Christi multiplicem impingunt; adeoque, quam Gnostici, & Nicolaitæ, indigniorem. Patet in meo *Luthero-cal. q. 28.* & *Genealog. q. 11.*

CHRISTVS. De me testati secus Prophetae sunt, ceterique plures.

1. Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Sp. sapientiæ.* Idemque 61. *Spiritus Domini super me, eò quod vnxit me.* Psal. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus.* Act. 10. *Vnxit eum Dominus Sp. Sancto & Virtute.* Hoc verò fieri nequijt, nisi in Conceptione. Nam quid est, Isa. 11. *Virga florens*, nisi B. Virgo concipiens, cuius fructus Christus, id est, vnctus?

2. Sin' autem ætatis anno XXX. primum vnctus fuisset; errasset Angelus dicens: Luc. 2. *Natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus*, id est, vnctus.

3. Adhæc Ioan. 1. *Verbum Caro factum est.* &c. *plenum gratiæ & veritatis.* Idque in limine vitæ mortalis: non igitur dilata fuit sapientia Christi ad vsque XXX. ætatis annum. Vnde bene S. Aug. l. 15. de Trinit. ca. 26. *Absurdissimum est dicere Christum anno XXX. accepisse sp. Sanctum; cum eius Praecursor accepit in utero matris suæ.* Luc. 1.

4. Demum ait Apostolus meus, Eph. 4. *Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* At verò, Col. 1. *In eo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.* Ideo Petrus, Ioan. vlt. *Domine, tu omnia nosti.*

5. Et fatentur omnes in Ioan. 1. De plenitudine eius omnes accepimus.

6. Quid quod Lucas 6. ait: *Ipse sciebat cogitationes eorum.* Ioan. 2. *Eo quod ipse nosset omnes.*